

Spes præfidentiam, Charitas simulationem, invidiam, inimicitiam omnem exosa videbuntur Tibi tales esse virtutes, quibus in Religioso cœtu ad sanctimoniam pervenitur. Aut nisi in eadem cœcitas opinione eorum, qui si quid doctrinis comparandis impenditur, id totum virtutibus subtrahi arbitrantur; quasi non sibi mutuam lumen, decus, robur concilient, quando id utriusque commune est, ut in eundem supremæ Veritatis agnoscendæ cultum conspirent. Mihi planè è contra, & haud dubie cuiusvis Sapientia suafum est tantò alterutris unumquemque nostrum excellere, quantò satagit, ut in utraque pariter vitæ suæ ætatem & operam omnem conferat, neutris subtrahens alternatim, nisi tantulum illud otii, quod honestæ Religiosi commercii remissiones efflagitant. Quod si ita est, ut confido, pauci sunt qui sanctioris vitæ institutum tenuerint.

Quare nè reputes, quæso te, Maignani senectam talem fuisse, quæ in se ipsam collecta, aut deflexa in otium Literariis laboribus valedixerit. Parum est quòd plusquam sexagenarius quotidianis Lectionibus Scholasticis Juventutem nostram instituebat; nisi ultra annum septuagesimum eandem benevolam sollicitudinem etiam Extraneæ concessisset: si tamen pro Extraneis computandi sunt ejusdem Ordinis, etsi non Provinciæ ejusdem Alumni ingenui illi, in quibus incredibilè discendi ardorem tanta, ac tanti Magistri audiendi nobilitas progenuerat. Neque ex illis ad minus duos fas erit filere mihi familiariter junctos, quorum alter * (Heu inexpectato ac præcipitato infortunio jamdiu vitæ ereptus) Regium Mathematici Professoris munus aliquot annis in Urbe Toloniensi summa cum laude sustinuit. Alter verò * & nuper edidit Parisiis præclarum volumen de plantis Americanis, & jam tertium in insulas illas jussu, sumptuque Regio Profectus, præstantiora opera meditatur. Tandem, quod publico gratitudinis meæ qualicumque monumento isto ut constet velim, Cathedram feretro copulavit.

Nam cum vix anni unius supra vigesimum adolescens nimia edocendæ in hoc Tolosano Cœnobio Philosophiæ Maignanæ præfidentia abundarem, Senem Optimum miseruit mei, quippe imparis ferendo oneri. Quare etsi annum supremæ necessitati imminentem ageret, nullam diem, nisi obstaret in valetudo, præterire patiebatur, quæ me libenter non admitteret, ac benigne audiret garrulitatem de suis gravibus sententiis meam aliquam. Imò, quamquam re tam incredibili offenditur Lectoris fides, non ratò contigit,

* R. P. Amatus Josephus Villeneuve ex Provinciâ Provinciæ.

* R. P. Carolus Plumier. Edidit deinceps Lugduni Gallicæ & Latine aliud volumen de arte tornandi curiosis inventis conspicuum, & frequentibus delicatioris calaturæ tabulis decoratum.